

D E F U N C T I

**P. Christophorus McEnniry (1878-1962)**

(Prov. S. Ludovici)

Die 21 maii 1962 in nosocomio S. Mariae civitatis S. Ludovici exstingebatur vita terrena unius ex eminentioribus Sodalibus Provinciae S. Ludovici, P. Christophori McEnniry. Erat vita 84 annorum, tota dedita promovendae gloriae Dei et saluti animarum.

P. Christophorus McEnniry natus est in quodam praedio (*farm*) prope Hickory Church, Kansas, die 23 martii 1878. Eius pater David erat origine Hibernus, mater Maria Smith Canadiensis. Primas litteras partim in schola publica, partim in collegio S. Aloisii in Greenbush, Kansas, didicit. Mortuo genitore, Christophorus aetate 14 annorum scholae valedixit et paternum praedium administrandum suscipere coactus est.

Attamen a prima aetatula id unum desiderabat: Deo in sacerdotali simulque religioso statu inservire. Primum cogitabat de ingredienda Societate Iesu, cum Patribus Jesuitis aliquot stationes Indianorum in eius vicinitate concreditae essent. Adiutus a suo parocho incepit itaque Latinae linguae studium; sed Lesuitae aliquique religiosi, quos adibat, non volebant eum accipere nisi inter Fratres laicos. Tunc eius parochus, Rev. Verdan, denuo se sincerum amicum ostendit. In Gallia, sua terra nativa, olim familiariter Redemptorianis Sodalibus usus fuerat et multa scripta S. Alfonsi legerat. Suasit igitur Christophoro ingressum in huius Sancti Congregationem, licet is nunquam unum ex eius filiis vidisset.

Revera a. 1897 adulescens 19 annorum in nostrum collegium seu iuvenatum Kirkwood, Missouri, admissus est. Totum studiorum cursum, utpote a Deo praeclaris dotibus instructus, tam bene absolvit, ut a. 1909 a suo Provinciali, una cum P. Ioanne Zeller, Romam ad tunc natam Scholam Maiorem missus fuerit. Vota religiosa in Kansas City emiserat die 15 aug. 1902, et superiora studia in De Soto perfecerat, ordinatus sacerdos in metropoli S. Ludovici 3 iul. 1907.

Degit itaque P. McEnniry biennium (1909-1911) in Urbe, non frequentans foris aliquam Universitatem, sed in Villa Caserta lectiones sequens moralistae P. Ludovici Wouters. Anno 1910 cum commilitonibus ferias, duce P. Directore Francisco Ter Haar, in collegio Provinciae Romanae Scifelli transegit.

Theologiam moralem deinde per septennium in novo Seminario maiore suaem Provinciae, nempe in Oconomowoc, Wisconsin, docuit, simul per triennum Praefectus Studentium et per aliud triennum Rector domus. Illis annis professores illius studentatus iuvenili ausu illud periodicum *The Liguorian* edere coepere, quod hodie in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis tantam diffusio- nem ac celebritatem habet. Inter eius collaboratores insignes per 30 annos fuit P. McEnniry. Sub dicto nomine *Father Tim Casey* amplius 350 articulos publi- cavit, tractans modo valde personali veritates religiosas magis ad proxim per- tinentes.

Nominationes anni 1918 virum quadragenarium ad Provinciae regimen vo- carunt, quam dignitatem per duo triennia conservavit. Fuere sex anni secundi. In sede Provincialis a. 1922 per P. Andream Browne nata est Novena Perpetua in honorem B. Mariae V. de Perp. Succ., hodie per totum orbem diffusa. In Wichita, Kansas, a. 1920 nova fundatio effecta est et a. 1922 in Whittier, California. Eodem anno in San Antonio pro Mexicanis peculiaris paroecia a Perpetuo Succursu suscepta. Ad oram Pacifici, in Oakland, novus iuvenatus praeparatus.

Onere provincialatus liber, a. 1924 in Fresno, California, gubernandam recepit paroeciam, in qua plurimi Itali. Eis igitur parochus verbum Dei sua ver- nacula lingua annuntiabat, ac variis modis eos adiuvabat.

In nominationibus anni 1927 Patri Christophoro magni momenti collegium Detroitense cum magna sua paroecia SS. Redemptoris obtigit, verum iam 13 iul. 1928 ad altiora vocatur, ut scilicet Romae loco defuncti P. Fidelis Speidel Con- sultor Generalis esset (1). Et a. 1936, cum Consultor-Admonitor Superioris Ge- neralis P. Franciscus Ter Haar ob proiectam aetatem sponte muneri suo re- nuntiasset, P. McEnniry die 25 maii Rectoris Maioris Admonitor rite eligitur (2).

Sic per alios 19 annos in Urbe stetit, et libenter quidem. Per septem annos cum dimidio fuit etiam Vice-Rector communitatis, regularem observantiam verbo et exemplo promovens. Plures supremus Instituti Moderator eum Visitatorem misit in Provincias idiomatis Anglici. In pontificio collegio de Propaganda Fide erat confessarius ordinarius; et confessiones excipere per totam vitam in deliciis habebat. Praedicavit quoque saepe suo vernaculo sermone exercitia spiritualia Romae, Faesulis, Melitae et fortasse alibi. Rev. mus P. Patricius Murray ante suam formalem renuntiationem in Capitulo Generali a. 1947 factam suum Admonitorem nominarat sui vices gerentem usque ad electionem novi Rectoris Maioris.

(1) Cfr. Litt. Circul. P. Murray, n. 87; *Analecta C.SS.R.*, 1928, p. 197).

(2) Cfr. *Analecta C.SS.R.*, 1936, p. 93.

Ut vices gerens in prima sessione Capituli Generalis, die 26 aprilis, pietate filiali ductus, longiore sermone Emerito Rectori Maiori tributum grati animi persolvit (3).



P. Chr. McEnniry tempore Capituli Gener. a. 1936

Post longam absentiam redux in suam Provinciam (a. 1947), P. McEnniry cunctis confratribus erat aedificationi magnae sua humilitate, hilaritate, fraterna caritate, regulari observantia, patientia, zelo apostolico; et omnes eum singulari veneratione ac dilectione prosequabantur. Ulteriores terrenae peregrinationis stationes fuere collegia St. Louis, Wichita, Detroit, De Soto.

Detroiti auctor fuit novi systematis convertendi ad veram fidem acatholicos, scilicet per regulares instructiones, vulgo *Information Classes*, quod systema exinde abundantes fructus gignere pergit. Parochiani, praesertim alumni et alumnae scholarum seu collegiorum, numerosi ad confessionale huius confessarii senis accurrebant.

Iam Romae haud semel P. McEnniry lumbagine vel arthritide tormentabatur. In patria pius senex ter quaterve ictu apoplectico tactus est; nihilo secius, suffultus baculo (primum *cane*, postea *crutch*) vel sella rotis mota (*wheel chair*), ad actus communes et ad confessionale se conferebat mira animi fortitudine.

(3) Cfr. *Acta Integra Capituli ... a. 1947*, p. 9-10.

Perlibenter octobri mense 1959 in domum novitiatus De Soto venit, ut tironibus esset confessarius ordinarius ac vivum genuini Redemptoristae exemplar. In exsequendis piis nostrae vitae exercitiis usque ad finem apparebat ardens eius in SS. Redemptorem eiusque augustam Matrem dilectio. Summa omnis diei consolatio ei erat celebratio devota Missae, et ultimo tempore gaudebat indulto sedendi in litando. Ipso die mortis unica eius sollicitudo erat: *What about holy Mass?*<sup>2</sup>

Pro P. Christophoro defuncto sollemne Sacrum exsequiale in sacello novitiatus celebratum est, sed absque sermone, ut eius desiderio fieret satis. Dixerat: « Si quid boni in vita feci, satis est id Deo notum esse ». Exuviae mortales in caemeterio novitiatus resurrectionem exspectant.

In P. McEnniry, 84 annorum, verba in nuntio obitus impressa peculiarem habuere significationem: « Fidelis vocationi suae in sinu Congregationis mortuus est ». Nec dubium esse potest quin S.P.N. Alfonsus hunc suum fidelem filium singulari amore exceperit. R.I.P.

IOANN. FLYNN - CL. HENZE, C.SS.R.